

Bibliothèque numérique

medic@

**Sue, Pierre - candidat / Le Vacher,
François-Guillaume - président. - De
sectione caesarea**

1763.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.***

Cote : ms 2342, n°93



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0093](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0093)

DE SECTIONE CÆSAREA.
 T H E S E S
 ANATOMICO - CHIRURGICÆ,

Quas, DEO JUVANTE, & Præside M. FRANCISCO-
 GUILLELMO LE VACHER, Artium & Chirurgiæ Ma-
 gistro, Regiæque Chirurgorum Academiae Socio, tueri cona-
 bitur PETRUS SUE Parisinus, in almâ Universitate Parisiensi
 Artium Liberalium Magister, nec-non Urbis Basilicæ Chirur-
 gus ordinarius, Theseos Auctor.


P A R I S I I S,
 IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS;
 Die 17^a Septembris, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.
 Anno R. S. H. 1763.

PRO ACTU PUBLICO
 ET
 MAGISTERII LAUREA.



Typis P. A. L. LE P R I E U R, Regii Chirurg. Collegii
 Typographi.

M. DCC. LXIII.



D. O. M.

DE SECTIONE CÆSAREA

T H E S E S

ANATOMICO - CHIRURGICÆ.

QUANTIUM quas admittit Chirurgia Operationum nullam majus unquam discrimen inter Authores constituisse quàm Sectionem Cæsaream vulgò dictam, nulliusque plures extitisse aut hostes aut defensores neminem latet. Illi, ut *Guillemeau* (1), *Mauriceau* (2), *Rolfincius* (3), *Solingenius* (4), aliique hanc Operationem periculosissimam habentes terrere clinicorum animos conantur, certam mulieris mortem prælagien-

(1) Lib. de arte obstetr. de Sect. Cæsar.

(2) Lib. de eâdem arte lib. 11. cap. 32.

(3) Obs. Anat. lib. 1. cap. 13. pag. 182.

(4) Oper. Chir, Chap. de Sect. Cæsar.

A

Roussetus,

do, si suscipiatur Operatio: hi, ut *Bauhin* (1), *Sennert* (2), *Hildan* (3), *Scultet* (4), *Roonhuysius* (5), *Lankrischius* (6), alique moderatores, etsi ipsius successum ancipitem teneant, faustissimis tamen repetitisque illius observationibus incitati, matres foetum alio modo nunquam in lucem edituras æquæ certæ ac crudeli morti à Chirurgo otioso devoveri ægrè ferentes, ultimum hoc remedium suadent, cujus necessitatem multis in casibus victrici palmâ stabiliunt. Litem adeo gravem ut diremptum habere nobis fas sit, & sufficiat si casus prædictam celebrandi Operationem præstantissimis ab Authoribus recensitos, simul & modum quo facilius & securius institui possit dilucide exposuerimus. Hic forsân Anatomicus requireretur sermo partium saltem earum quæ aut ipsarum malâ conformatione aut defectu, aut aliâ causâ foetus exitui obicem præbent. Quoniam autem hanc explicationem non sinunt instituti nostri limites, de his solum modo partibus quæ in sectione Cæsareâ dividuntur Anatomicè dicemus, quas inter cutis, pinguedo, musculi abdominales, peritonæum, uterusque annumerari debent.

EX ANATOMIA.

I.

Cutis. CUTEM fibris membranaceis, tendinosiis, ac nervosis implicari, vasis eam imprimisque lymphaticis conspergi, glandulis tum miliaribus tum sebaceis redundare, papillas in eâ nervosas, substantiamque detegi mucosam ipsamet epidermide velatam omnes norunt Anatomici. Ipsius etiam textus, licet in abdomine constrictior, maximam tamen experitur extensionem, ut in hydrope ac graviditate patet.

II.

Pinguedo.

ADIPOSA membrana nihil aliud est quàm innumera cellularum

(1) Lib. de Part. Cæsar.

(2) Inst. med. & praxis medica.

(3) Epist. de herniâ uterinâ in Oper. pag. 897.

(4) Arment. Chir. tab. de part. Cæsar.

(5) Lib. 2. Obs. Chir. 1. de morb. mulier.

(6) In A&L. erud. Lips. an. 1693. pag. 229.

congeries inter se communicantium, onctuosoque in iis ab arteriis deposito succo ingurgitantium. Quam quidem maxime nonnunquam in abdomine abundare, intimèque cum peritonæo adhærere, cum musculos ipsosque fibrarum fasciculos penetret, experienciâ constat.

III.

Quoniam ad musculos abdominales attinet, singulorum examen privatim hic suscipere inutile disjucamus. Illos tantum massam cum clarissimo Winslow (1) Dicemus fibris variè configuratis in duas partes facile distinguendis contextam, quarum altera motrix, carnea, spissior, mollis, colorisque plus minusve rubei, venter, altera gracilis, constricta, & albida in unumquodque ventris extremum desinens, tendo aut apronevrosi dicitur pro constrictâ fibrarum dispositione aut expansâ. Decem vulgò numerantur, quinque à singulo latere quorum in medio fasciculus quidam *linea alba* dictus, umbiliculusque reperiuntur. A costis tum spuris, tum veris, sterno, vertebrae lumbaribus, ileo & pube pro diverso ipsorum situ principium habent. Hic animadvertere debemus, 1°. Eos qui recti dicuntur duplici involvi aponevrosi ab obliquo interno sive descendente unicuique supeditatâ, 2°. Aliorum musculorum partem aponevroticam carneosâ accommodari, ita ut hæc mirâ dispositione æqualem præbeant figuram, massamque carneosis, tendinosisque fibris in omni puncto inter-textam.

Musculi abdominales.

IV.

Musculis abdominalibus cautè dissectis, se se offert peritonæum. Membraneum illum dicimus saccum oblongæ figuræ, textu licet arctissimo extensionis tamen elasticitatisque capacissimo donatum, ut hydrops & graviditas pronunciant. De peculiari ipsius structurâ, variisque productionibus ac reduplicaturis hic nullatenus agendum censemus: interroganti cuique responsionem dare conabimur.

Peritonæum.

V.

UTERUS præcipuum generationis instrumentum. In pelvi hypogastricâ situs vesicam inter & rectum in virginibus mulieri-

Uterus.

(1) Traité d'Anat. pag. 486.

bus-ve non gravidis figuram piriformem à parte inferiori inversam, & à posteriori paulo planam, in prægnantibus vero ellipsoïdæam exhibet. Tres in partes dividitur quarum superior & latior fundus, inferior cervix, media tandem corpus uteri nuncupantur. Unica ferè semper est (1) & triangularis ipsius cavitas. Triplicivero foramine pervius est, unum inferius, majus, oblongum, in ipsâmet uteri cervice intrâ vaginam protuberanti dat orificium uterinum à quibusdam ex peculiari ipsius figurâ *os tincæ* dictum, alia vero superiora, minora, lateraliter in fundo uteri patentia tubis hiant Fallopiæ. Duabus constat uterus membranæ, alterâ communi à peritonæo subministratâ, alterâ propriâ, & textu præterea spongioso multis pervio cellulis non solum vasis nonnullisque carneis fibris implexis, sed etiam extrinsecus coopertis, si *Malpigi* fides, vasis in fasciolas collectis, textumque reticulatum efformantibus. (2) Uteri vasa sunt

(1) Duo exempla ambæ uteri cujus cavitas septo medio dividebatur exhibet *Riolanus* anthropograph. cap. 31.

(2) Anno 1753 *Clar. Sue* Scholarum Professor coram Acad. Reg. Scient. Dissertationem legit in quâ, differentiis diversarum in ætatem uteris statutis, demonstravit.

1°. Duos musculos quorum origo in partibus uteri lateralibus, finis vero in ligamenti latæ.

2°. Duos alios unum in singulo minori ligamento partem uteri posteriorem cum recto connectente.

3°. Fibras quæ ab anteriori mediâ & inferiori uteri parte ad ipsius fundum pergentes, ibique paulatim se se confundentes, in parte posteriori se se expandunt.

4°. Alias in fundo transversas, & inter se implicitas quarum nonnullæ intubis Fallopiæ ligamentisque rotundis se se terminant. Quæ quidem aliis inter-sectæ quarum pars obliquè ascendit, altera vero similiter descendit. Ex his quoddam resultat corpus reticulatum novarum puerperarum in uteris maximè apparens.

5°. Quatuor musculos triangulares in parte interiori: è tubarum orificiis nati, quo partem uteri anteriorem, alii vero partem posteriorem petunt.

6°. Pro *Clar. Ruisch* musculo uterino (1) duos alios in partibus fundi uterini lateralibus sitos, multisque concentricis fibris implicatos, ex tubarum orificiis ad uteri centrum, volumine sensim augente, propagantibus.

7°. Carneosas fascias uteri partem mediam & inferiorem interius componentes directionem tum transversam tum obliquam habere, dum illæ quæ in orificio interno conspiciuntur, omnino orbiculares sunt.

8°. Tandem parvulis nec non carneosis eminentiis illas quibusdam

(1) Vid. Traçt. de musculo in fundo uteri reperto cum doctrinâ de secundinarum extractione.

7

arteriæ, venæ; nervique. Arteriæ à spermaticis hypogastricisque originem ducunt. Spermaticæ numero duæ ab aortâ inferiori ortæ ovaria, tubas Fallopianas, ligamenta lata & teretia primo conspurgunt, deinde vero duos dant ramos qui in unoquoque uteri latere descendi tres alios efformant quorum primus uteri fundum, secundus ligamentum latum irrorant, tertius vero usque ad uteri collum pergens propè orificium internum finem invenit. Hypogastricæ arteriæ ab iliacis ortæ post plurimas subdivisiones arteriam tandem pudendam communem dictam suppeditat quæ innumeras uteri lateribus & vaginæ ramificationes ministrat uterinas auditas, atque tum in superficie, tum in ipsâmet uteri substantiâ multiplicem cum arteriis uterinis oppositis anastomoses agunt.

IDEM de venis sanguinem residuum ab iisdem locis referentibus, arterias que concomitantibus dicendum, exceptis tamen quod, 1^o. Venæ spermaticæ fursùm ascendentes Majorem Anastomosium copiam efformant, unde oritur corpus pampiniforme, 2^o. Spermatica sinistra in emulgentem sinistram sanguinem fundat, 3^o. Venæ uteri substantiam ita penetrent ut statuto tempore exuberans quâ turgent sanguinis copia in uteri cavum, osculis apertis, stillare queat.

NERVI uterini à lumbaribus, sacris, & intercostalibus oriuntur. Lumbares & sacri partibus non solum internis externisque mulierum genitalibus, sed etiam ambientibus & unicuique inferiori extremitati, crurali & sciatico originem præbendo, ramos suppeditant, inde tanta inter omnes illas partes sympathia. Nervi intercostales tum uterum, tum omnia abdominis pectoris que viscera variis locupletantur plexibus.

PRÆTER hæc uterina vasa, venæ etiam lymphaticæ in utero detectæ sunt: quin imo vasa lactea in mulieribus maturam per graviditatem defunctis observata nonnunquam reperimus.

UTERI ligamentorum latorum, rotundorum, & minorum posteriorum, ovariorum, tubarum denique Fallopiandarum descriptionem datâ operâ omittentes, ad Chirurgiam devenire festinamus.

in locis conjungi. Quæ quidem perpendiculari in positione sitæ, his que mediantibus, insignes perspicui possunt aperturæ plurimis vesicularibus dilucidisque corporibus accommodatæ.

EX CHIRURGIA.

CASUS Sectionem exigentes Cæsaream variè variis ab Authoribus annotantur. Ad hos tamen reduci illos posse cum Clar. Simon Judicamus (1).

- 1°. Si mala ossium pelvis in matre conformatio.
- 2°. Si tumor durus adest uteri in orificio.
- 3°. Si scisso utero, in abdomen prolapsus est fœtus.
- 4°. Si ventrales adsint conceptiones.
- 5°. Si uteri herniâ laboret mulier.

SINGULI illi casus evolvendi. Sed brevitati, quantum in nobis erit, consulentes, responsionibus magis quam scriptis materiam enucleare conabimur.

I.

Ossium pelvis
difformitas.

1°. MALAM ossium pelvis conformationem præcipuam esse causam Sectionem exigentem Cæsaream omnes ferè Authores consentiunt. Quænam vero sit hæc difformitas, sedulo disquirendum. Tunc enim tantum operationem celebrandam arbitramur, quando 1°. Ossa pubis ita ad se invicem approximantur; ut neque manum, neque ullum instrumentum intromittere possit obstetricans. 2°. In pelvis ossibus magnæ adsunt exostoses; magnæ, inquam, minimæ enim partum quidem retardare, non vero omnino impedire possunt. 3°. Pubis depressius est, vel sacrum eminentius (2), ita ut angustior ab iis efformetur apertura, quàm ut egredi possit fœtus. Prævâ vero ossium conformatione existente, atque haud dubiis signis de certâ fœtus morte edoctus Chirurgus, viis tandem ordinariis partum terminandi impossibilitate cognitâ, operationem tunc celebrabit-ne, an non? quidam, inquit (3) Heisterus, suadent in hoc casu rem potius naturæ esse relinquentiam (4) quibus quidem & ego assentio, quando, & quandiu, ut quandoque sit, gravidæ nullum inde vitæ

(1) Tom. 2. Mém. de l'Acad. Roy. Chir. deuxième partie des Recherches sur l'opération Cæsarienne.

(2) Pineau refert lib. 2. de notis virginittatis, aperto mulieris cadavere partus in laboribus emortuæ eminentiam ossæam dextro in pubis latere observatam fuisse.

(3) Inst. Chir. part. 2. pag. 716.

(4) Vanhorne in Microtechnæ, ubi de partu Cæsareo.

periculum

periculum imminet. Nos autem censemus cum optimis authoribus in hoc casu celerius operationem celebrandam, neque expectandum donec urgentia accidentia, ut acutissimi dolores, convulsionibus, hemorrhagiæ, illam suadere videantur: salutaris enim artis auxilia tardiora tunc forsan in vanum adhiberentur.

I I.

2°. CUM uterini orificii dilatatio talis esse debeat, ut corpus in eâ retentum per illud extrinsecus transmitti possit, Si tumor durus in orificio uteri. schirrosæ necnon maximæ amplitudinis tumores huic obstantes dilatationi partum naturalem impossibilem reddunt. Quid agendum in hoc casu? An Sectio Cæsarea instituenda, an potius tumoris extirpatio tentanda? Observationibus quidem constat feliciter nonnunquam incisam fuisse uteri cervicem (1) pro accelerando partu, cum inter se ipsius parietes cohererent. Schirrum verò uteri in orificio situm majori periculo non extirpaturum Chirurgum asseverare non audemus. Legitur tamen in Actis Academiæ Regiæ Chirurgicæ (2) celeberrimum *De la Peyronie* de Sarcomate uterini orificii in margine Sito, maximèque ibi calloso in consilium vocatum, tumorem cum eâ quâ oriebatur callositate extirpari posse judicavit, quod quidem magno cum successu perfecit, & re ipsâ sectionem in parte uteri sanâ celebravit. Cum autem longè aliæ potuerint esse circumstantiæ, cum de mulieris imminenti vitæpericulo tunc forsan non ageretur, cum præterea funesta ex Schirri extirpatione partus in laboribus tentatâ sequi possint accidentia, tum repetitâ partium irritatione, tum ferè insuperabili quæ offendi posset difficultate in mediis pro illorum tumorum amputatione cognitis adhibendis, Sectionem Cæsaream in hoc casu præferendam arbitramur.

Vaginæ tumores, adhæSIONES, callositates, constrictiones hanc ad suadendam Sectionem solas non sufficere dubitandum non est. Quantum enim libet constringatur vagina, ipsius dilatatio maximâ suâ ab extensibilitate speranda. Observationes præterea diverforum authorum ut *Vateri* (3), *Guillemeau* (4),

(1) Voyez les Essais d'Edimbourg tom. 3. pag. 384.

(2) Vid. Differt. Clar. *Louis* de Concretionibus calculosis uteri pag. 149.

(3) Differt. de partu Cæsareo.

(4) De l'heureux accouchement liv. 2. chap. 10.

Lamotte (1), aliorumque evidentissimè probant illos vaginæ tumores, illas adhæsiones ac cicatrices, callositatesque ferro destrui posse, sicque partum facilem reddere. De intima labiorum magnorum cohæsione idem dicendum (2).

III.

Si scisso utero;
in abdomen pro
lapsus fœtus.

3°. Non solum à vehementibus mulierum conatibus pro fœtus expulsionem; sed etiam pravo ab hujus situ, turpique nonnunquam obstetricum ignorantia frequentior uteri rupturæ causa repetenda. In hoc vero casu sedulo distinguendum an totus fœtus, aut aliqua tantum ipsius pars in abdomen inciderit: hoc opus, hic labor est. Ad hæc tamen referri possunt signa utriusque casus, 1°. totum fœtum ex utero scisso egressum tunc dignoscitur, quando præter communia graviditatis signa dolores huc usque acutissimi subito sedantur, quando insolitus apparet tumor, pauloque superius quam decet situs, quando partus doloribus præsentibus, vel prægressis, nulla tamen oris uteri apertura, nullusque aquarum fœtus fluxus percipitur, quando applicatis in tumorem digitis, quædam fœtus partes, caput scilicet, brachia, vel pedes distinctè secernuntur, quando tandem in ventriculum pondus insolens persentit gravida mulier (3). 2°. Unam tantum fœtus partem ex utero in abdomen transiitam animadvertere non æquè difficile: obstetricans enim, manu in uterum demissa, de partibus in eo contentis, de ipsius rupturæ loco, parteque in abdomen prolapsa certior fit, ut accidit *Lamotte* (4). His duobus in casibus quid sit faciendum sæpe perspicuum est. In primo enim Sectionem solam Cæsaream tum matrem, tum puerum, vel saltem alterutrum ex orci faucibus eripere posse neminem latet. De secundo non idem certè statuendum. Modo enim sufficiens pro fœtus extractione pars in utero remanserit, ea sectioni præferenda, etiam si uteri apertura fœtum amplectens aliquantulum resisteret.

(1) *Obs.* 337 & 339.

(2) *Vid. Harvæi exercit. de partu pag. 345.*

(3) *Vid. pistor. Dissert. de fœtu, rupto utero, in abdomen prodeunte.*

(4) *Liv. 2. Obs. 313. mulieri gravidæ succurrendæ gratiâ evocatus, fœtus brachio usque ad scapulam foras protendente, valde demiratus est quod, quæsitis pedibus, ipsos ex utero egressos invenerit.*

Aperto

II

Aperto enim abdomine, scissuram augendi idem quoque esset periculum (1).

I V.

4°. Fœtum aliâ in parte quàm in utero concipi, foveri, ali, & ad certam pervenire posse magnitudinem, frequentiores heu! huc usque demonstrarunt observationes. Etenim alii in ovariis, alii in tubis, nonnulli in ventre diu permanserunt. Mulierum sic gravidarum diversa fuit fors: aliæ molestum quidem, sed non inimicum pondus plurimos gestarunt per annos (2), integrâ semper fruente sanitate: in aliis vero omni ope atque opera enixa est alma rerum parens natura ad ipsas illo liberandas onere, felicesque efformati sunt abscessus è quibus putrefacti tristes corporis reliquæ prospero cum successu extractæ sunt (3). Signa conceptionum ventralium eadem ferè sunt ac illa quæ ad fœtûs in abdomen, scisso utero, prolapsum numero præcedenti exposuimus. Certis verò constat observationibus generalia naturalis graviditatis symptomata conceptiones has ferè semper concomitari. Attamen si ventris eminentia insolita eisdem in augendo ac naturalis graviditas gradus sequatur, si, digito uterinum in orificium introducto, nulla in eo notatu digna sentiat mutatio, si motus à matre interiùs experti à localibus veniunt transpositionibus separati corporis per seipsum moventis (quodquidem facile agnoscunt mulieres) si tandem tactu, ut docent observationes (4), fœtûs corporis habitudo secernatur, eum in utero jam non esse judicandum. Unum denique datur signum quo distingui potest an in ovario, vel tubâ, an in abdominis cavo conceptus fuerit fœtus. Etenim si vagæ parti adhæreat placenta, tumor ex uno latere ad alterum progreditur, quod certè non eveniret, si conceptio in ovario vel tubâ facta fuisset. His omnibus in casibus Sectionis Cæsareæ necessitatem quis non videt? Ea autem operatio periculosissima pro matre fit, si cum partibus contentis adhæSIONES contraxerit placenta: ex ipsarum enim adhæSIONES.

Si ventrales ad-
sint conceptio-
nes.

(1) Vid. *Albini* Dissert. de partu difficili, & *Heisterum* loco citato.

(2) Vid. *Cipriani* epist. de historiâ fœtûs è tubâ uteri viginti & unum post menses extracti, matre salvâ.

(3) Vid. *Bartholinum* de insol. part. viis transact. phil. an. 1724. num. 385, & *Ledran* Obs. 92, tom. 2. cum litter. Nov. 1732.

(4) Vid. *Dodonæum* pag. 288. *Bibl. italique* Obs. de *Bianchi*, Janvier 1728. pag. 279.

B ij

num separatione funestæ hemorrhagiæ ; aliaque gravia sequi possunt accidentia. Hoc etiam est quod obstetricantis animum implicat. Ex unâ parte enim operationis necessitatem, certumque fœtus sacrificium, si non celebretur, ex alterâ periculum vitæ matris imminens, si celebretur, propter dubiam placentæ cum aliquâ abdominis parte contentâ adhæsiōnem, justâ incitatus commiseratione perspicit. Attamen cū, derelicto puero, illius suæque matris certum sit lethum, omnia tentare debet extremis malis extrema esse opponenda remedia edoctus Chirurgus : Sectio ergo Cæsarea hoc in casu quam primū celebranda.

V.

Si herniâ uteri
laboret mulier.

5°. TANDEM Sectionem Cæsaream exigere uteri herniam dicimus. Peculiaris autem hîc statui debet distinctio, nempe an uterus partibus vicinis adhæreat, an non : in priori casu dubitandum non est, Sectioque protinûs instituenda (1), in posteriori autem uterus cum fœtu reponendus (2). In primo casu Sectione celebratâ, extractoque puero, statim vel saltem post aliquot dies, quando suâ contractione minor factus est uterus, illum in ventrem refundi vult *Heisterus* (3), mortemque mulieris quæ *Sennert* observationi locum dedit, indè deducit quod uterum Chirurgus statim non reposuerit, futurâ verò vulneris labra conjunxerit. An justa, an injusta sit accusatio decidere nostrū non est.

SUFFICIENTIA Sectionem celebrandi Cæsaream motiva quidam authores, ut *Roonhuysius* (4) habent diversa partûs obstacula à fœtu orta. An reipsâ ex hujus parte talia dentur motiva quam paucissimis hîc perpendere verbis operæ pretium

(1) *Sennert* lib. 4°. *Med. pract. part. 2^a. Sect 24. cap. 17°.* mulieris gravidæ Observationem refert quæ herniam uterinam ita magnam habebat, ut fasciâ illam sustinere, modoque in crus dextrum, modo in sinistrum illam ferre cogeretur. Novem elapsis mensibus, partûs dolores vehementes & diurni fuere. Inciditur tumor, & ex utero fœtus vivens placentaque extrahuntur.

(2) Legitur in *Ruischii* advers. *Anat. Med. Chir. dec. 2. pag. 23.* mulierem post supurationem in inguine uteri herniâ in hac parte laborasse. Quæ quidem usque ad genua descendebat. Subsequentibus autem partûs doloribus, uterum cū fœtu reposuit obstetrix, viisque solitis partum terminavit.

(3) Loco jam citato.

(4) Loco jam citato.

est. Ad hæc verò reduci possunt partus obstacula à fœtu orta;

- 1°. Si majoris sit amplitudinis quàm ut foràs egredi possit;
- 2°. Si quàm maximè perversum obtinet situm,
- 3°. Si ascitâ, vel hydrocephalo laboret,
- 4°. Si cum alio fœtu aliquâ parte intimè jungatur;
- 5°. Si monstrum sit,

In omnibus istis casibus Sectionem Cæsaream celebrari non debere probatu facillimum. Quotidiana tantummodo interroganda experientia: dicemus tantum ad fœtus monstrosi extractionem ferrum vel uncum potius quàm operationem adhibendum, quando quidem illa monstra diù non vivunt, inutiliaque sunt societati corpora.

Ex dictis concludimus cum D. *Simon* Sectionem Cæsaream nunquam celebrandam, quando ossa pelvis in muliere bene conformata sunt, nullumque non naturali dispositione obstaculum partes molles exhibent, quantacunque sit fœtus amplitudo, uno verbo, Cæsaream Operationem nullo modo esse admittendam, si manum in uterum introducere possit Chirurgus. Optima hanc agendi operationem methodus nobis nunc describenda incumbit.

ANTE Operationem instrumenta colligenda, apparatus disponendus, ægra tandem necnon ministri collocandi. Instrumenta sunt scalpellum rectum vel novacula, forfex cuspide obtusâ, specillum cavum, curvæque acus. Apparatus consistit in filis robustis vel funiculis, spongiis, vino vel decocto vulnerario calido, linamentis carptis, spleniis magnitudine atque amplitudine diversis, & denique fasciâ corporis dictâ. Ægra deinde, emissâ prius urinâ, in lectum supina est collocanda, ipsiusque tum brachia tum crura minimùm quatuor probe firmanda personis.

AD Operationem rectius celebrandam locum incisionis atrimento notari quidam volunt authores (1). Ille verò incisionis locus diversè à scriptoribus assignatur. Sectionem enim celebrari volunt alii (2) in parte abdominis laterali propè umbilicum, sed tribus vel quatuor transversis digitis aliis, alii (3) digito uno infra umbilicum, tribusque vel quatuor

(1) Ut *Thevenin* suis in oper. pag. 138, & *Scultet* in arment. Chir. pag. 317.

(2) Ut *Peu* in libro cui titulus *la pratique des Accouchemens* p. 318.

(3) Ut *Thevenin* & *Scultet* locis jam citatis, & *Gouei* in libro cui titulus, *la véritable Chirurgie* pag. 432.

ab inguine secundum musculi recti directionem. Nos autem à Chirurgo ad dextrum aegræ latus, si dextrum, vel ad sinistrum, si sinistrum incidere vult, sito, (parvi enim refert, inquit Peu, utrum latus incidatur, modo feliciter celebretur Sectio) sic Sectionem celebrandam existimamus. A quatuor digitis transversis infra umbilicum usque ad duos transversos supra pubis lateralem scalpello incisionem facit quâ unâ vel repetitâ vice cutem, adipem, musculosque secare debet, deinde vero peritonæum eodem incidere instrumento, sed quàm cautissimè, ne quid intus temerè lædat.

VENTRE satis aperto, epiploon, intestinaque extûs exiliencia in parte vulneris superiore retinere debet Chirurgus adjutor, dum ubinam hæreat fœtus probè perspicit operans. Si in abdominis cavo situm habeat, protinùs ille cum secundinis educendus, quod & faciendum quoque, si in tubâ Fallopianâ vel ovario adsit, his providè antea partibus incisis. Si verò in utero delitescat, hujus visceris substantiæ crassitiem rectè judicare non valente Chirurgo, in eum prudenter scalpellum ferat, ne miserè fœtum lædat, idèdque uterum in suâ parte ferè superiori & laterali, ut sit in bubonocèle, digito indicatore & pollice duo ministri transversim, si possunt, comprehendant, & in medio partis comprehensæ sufficientem peragat Sectionem Chirurgus, pro inter fœtum parietemque uteri interiori specillo cavo intromittendo, atque, eo duce, uteri Sectionem usque ad inferiorem ventris vulneris angulum scalpello ampliet (1). Quo factò, à se invicem subito discedunt duo uterinæ plagæ labra, ita ut apertè distinguantur fœtus membranæ quæ incidendæ sunt, donec pro illo extrahendo satis pateant. Tum in uterum cautè injiciuntur manus, nempe una à singulo fœtus latere, atque ita ipsum per pedes extrahere tentat Chirurgus.

Vix autem in lucem prodiit infans, cum salutâribus aquis ablui debet, funiculique umbilici ligatura instituenda, dum alter Chirurgus, operationis accelerandæ gratiâ, manum in uterum immittit ad secundinas detrahendas. Sat magna nonnunquam tunc evenit hemorrhagia quæ verò, se se coercente utero, brevi cessat. Si tamen persistat, ora venarum majorum

(1) In Obs. D. Soumain de muliere cui anno 1740. Sectione Cæsareâ fœtus extractus est, notatum est per uteri incisionem vix guttûm sanguinis effluxisse, sed solam lacteosam materiam, & quidem parvâ copiâ; tunicas autem uteri lineam crassitiæ non adæquare,

in uteri vulnere digitis linamentorum interventu spirituvini rectificatissimo imbutorum tantisper comprimenda, donec tandem cessaverit sanguinis fluxus.

LIBERATA muliere, in ventre effusus sanguis spongiis vino vel decocto vulnerario calido imbutis expurgandus. Partes internas vulneratas sui non debere cum *Heistero* facile assentimus, atque immisso prius copaivæ balsamo alio-ve simili, naturæ illas relinqui satius judicamus. Post aliquod temporis intervallum quo ægræ induciæ dantur, roborantibus paululum ut reficiat, linamenta vulnere immissa blandè rursus eximantur, vulnusque deligetur.

POST uteri incisionem, foetusque & secundinarum extractionem, operatio gastroraphia dicta celebranda, cujus vero descriptionem hic agere instituti nostri ratio non postulat. Pessarium canaliculatum in uterum inferi cum aliis scriptoribus vult *Roussetus* (1) : ipsius autem usum condemnat *Gouei* (1). Nos quoque illum inutilem esse arbitramur.

SECTIONE Cæsareâ celebratâ, idem apparatus ac in gastroraphiâ disponendus. Quod verò ad situm ægræ in lecto post operationem attinet, ita collocanda ut suo incumbat vulnere, ut sic pars humorum noxiorum intus contentorum, sanguisque in abdominis cavo effusus per vulnus externum facilius foras ejici possint. Insimul verò idoneam victus rationem, apertissimaque tum interna tum externa remedia prudens præscribat artis Magister, eaque continuet, donec ægra convalescat, id quod in D. *Soumain* (2) ægrâ quartâ contingebat hebdomade.

(1) (1) Locis jam citatis.

(2) Hujus-ce Operationis relatio in tempore quo celebrata fuit divulgata legi potest.